bo, vt nouũ ac sanctum charitatis spiritum in illis regeneret, atq; accendat, quò mortalium vita iam tuta esse possit à tot hominum fraudibus, negligentijs, & imperitijs, quibus hæc nostra ætas omniũ deterrima abundat. Vale cõpater chariss. & nos amare perseuera. Ex Brixia, VII. Idus Iulij. M. D. XLVIII.

Aloisius Mundella medicus, Martino Agathio Iureconsulto suo S. D. EPISTOLA XXXVI. Quòd Galenus post Hippoc. omnib. græcis medicis sit præferẽdus.

QVOD superioribus diebus audiueris nescio quem exteræ quidem nationis, sed magni nominis medicũ, adeò Paulum Aeginetã, Aëtium, & nonnullos alios græcos medicos miris laudibus vsq; ad astra extollere, me verò vel nunquam, vel rarò de illis mentionem habere, non est quòd admiratione vlla capiaris: quoniam liberũ est vnicuique, sectæ, quæ magis illi placuerit, fauere & inhærere. Verũ quia nunquam illius opinionis fui, at semper summa cum diligentia & industria veritatẽ inuestigaui, non tãtùm de ijs quæ ad rem medicam pertinent, sed etiã ad quamlibet disciplinarum

aliam, nihil de cuiusuis sectæ nomine solicitus, aut doctrina: idcirco diuino adiutus fauore, sine quo nihil boni agere aut meditari possumus, etsi in aßiduis versemur cogitationib. & exercitationibus, apertè mihi uisus sum cognoscere, Galenũ doctrinæ certæ ac sanæ autorem extitisse, neq; à rectis medicinæ scopis ac methodis aberrasse, sed medendi veram artem nobis tradidisse ac manifestasse: & propterea cũ ipse plus quàm quiuis alius veritatem amplexatus fuerit, ac docuerit, tanquam qui de re medica optimè meritus, & ab omnibus laudari ac decantari dignus sit, semper illum & sequor & extollo, & plus quàm omnes alios medicinæ autores approbo, & mihi ante oculos imitandum propono, gratias semper Deo opt. max. habens, qui animos nostros adeò illustrare dignatus sit, vt veritatem mihi apertè cognouisse visus sim, & cognitam dilexisse, atq; amplexatũ fuisse. Quòd igitur de prædictorum autorũ doctrina me rerißimè sermocinantem audiueris, neq; medicũ illum approbauerim, id in causa extitisse intelliges, quòd, quoties Aëtium considero multò post Galeni tempora vixisse, congruum mihi videbatur,

(quem-

(quemadmodũ Gal. de Attalo scribit) quòd cùm opus quodpiam componere vellet, atq; in lucẽ ædere aliquid quod Galenus non dixerit, aut si aliqua in re illi contradicere statuisset, & rationes & experimenta illud cõfirmantia adduxisse oportuit, quæ suam stabilirent, et illius destruerent sententiam: id quod nullibi, quod sciam, ab ipso factum est, sed nullis iactis fundamentis, aduersus Galeni scripta nõnulla in medium affert, quæ sanè, iudicio meo, non vt opus erat considerata & examinata fuerunt. Cùm itaq; vita nostra breui quidem tempore duret, & à multis interim corporis animiq; agitetur iuquietudinibus, minimè nobis conuenire arbitror, vt in rebus vanis tempus conteram, & longa verborum serie vtar, & quæ ab alijs scripta sunt, sæpius repetam. Quare neq; multùm illum cõmendo, qui multa scribit, sed illum qui lucubrationib. suis, longè ab aura populari semotus, omni studio, aut parũ, aut etiam multũ scribendo, alijs prodesse quærit. Laudo Aëtij diligentiam, quòd ordine scripta sua digesserit, morbos ferè singulos enarrans: sed quòd remedia multa absq; vllo examine recensuerit, nec methodum aliquam do

Libro de palp. & rigore.

Quinto de simpl. medic. facul.

cuerit, qua auxiliorũ bonitatem & malitiam cognoscere possimus, illud mihi maximè displicet: quemadmodum à Galeno factum esse scimus, ex quo postea vnusquisq; ex se inuestigare potest, quæ bonæ, quæq; malæ fuerint cõpositiones. Putes tamen nolim me Aëtij doctrinam omnino cõdemnare, & ita etiã aliorum autorum qui coæui fuerunt Arabum florenti ætati: sed quia certè pauca nobis bona tradiderunt, quæ prius à Galeno tradita non fuerint, hac de causa rarò à nobis de illis, & illorũ doctrina habetur sermo: & eò magis, quòd quoties illos video aliquid contra Galeni doctrinam scribere, quibus id argumentis agãt, nescio. Quare neq; medico expedire arbitror, qui prius Galeni scripta non viderit, & in illis se plurimum exercuerit, vt prædictis incumbat autoribus: scis enim quàm difficile sit ex discentium animis inueteratas vsque à teneris annis amouere opiniones, quemadmodum nostris temporibus in multis disciplinarum studijs videre licet: quo enim semel est imbuta recens, seruabit odorem testa diu. Verùm te hoc argumentationis genere statim vti sentio: Si tibi (vt ais) ita scribendi breuitas grata est ac

pro-

probatur, cur non Galeni verbosi sermones damnus? cùm angustiore oratione, et antiqua breuitate & ipse vti potuisset, neq; se et experimẽta sua tam mirificè iactare, quemadmodũ in plerisque suorum cõmentariorũ locis apertè videri potest. Cui obiectioni ita occurrendũ esse existimo: Galenus enim etsi suo dicendi genere nimis prolixus alicui fortasse visus fuerit, non illud tamen verũ est, sed sæpenumero consequentia rei, de qua mentionem habet, adductus, nonnulla addere coactus fuit, quæ quidem non parum conferũt ad dictorũ suorum corroborationem, et aliorum explanationem: quod Hippocr. non fuit necesse, nec alijs illius farinæ autoribus. Vel si longior est quàm fortasse sobrio lectori cõueniat, non tamen idcirco vituperari meretur, cùm legentem interim oblectet, & accommodatum illud sit suo sermoni, pro illius explicatione et corroboratione. Possumus etiam aliter respondere, dicentes, cõcedendum esse aliquid hominis naturæ, & eius stylo Asiatico. Deinde, cùm se gloriari & iactare Galenus videtur, nõ hoc tamen verũ esse constat: quia neque ambitionis, neq; gloriæ desiderio vnquam capi visus est, quòd

id turpissimum sit, & homine philosophiæ studijs addicto indignũ: sed vt falsas medicorum, qui eo inualuerãt tempore, confutaret opiniones. Quis enim nescit, Galenum (si quæ dicit credere dignum est) operibus suis suum imponere nomen noluisse, ne superbiæ aut ambitionis alicuius nomine notaretur? quod vitij genus quantũ studeat Galenus è medicorũ animis euellere, sat notum esse puto illius libros legẽtibus. Quare id illi minimè adscribendũ est, qui veritatem tãtopere dilexit, vt omnia præ illius amore cõtempserit: sed gratiæ ei ab omnibus meritò habendæ sunt immortales, quòd omnes liberales illustrauerit artes, præcipuè uerò medicam, & Christianè viuerè nos docuerit: etsi longè ille à CHRISTO alienus fuerit, & illius discipulos contempserit. Vel dicas, non omnia omnes posse, sed quãdoq; bonũ Homerum dormitare. Si quispiã verò alius nobis obijceret, Gal. dicens in cõponendis libris suis ordinẽ aliquem non obseruasse, quemadmodũ Aëtius, Auicenna, & cõplures alij medicinæ autores, in enarrandis singulis ægritudinibus, causis, signis, et illarũ remedijs: facile huic occurri poterit. Non enim Galeni institutũ fuit huius-

huiusmodi opera cõponere, verùm vt amicis efflagitantibus gratũ faceret, quemadmodum in omnibus fere suorum librorum initijs videre licet. Itidem de Paulo Aegineta dicendum: laudo enim cõpendij sui propositũ, sed non cõpendium ipsum, cùm in multis defecerit: neq; vt par erat, singula quæ Galen. scripsit vtilia, in breuem formã redegerit. Neq; etiam approbo, quòd, si quando aliquid cõtra Galeni mentem dicit, nullã & ipse cõtradictionis causam adducit, quod doctis omnibus consuetũ est viris, cùm alios redarguere conantur. Existimo ego (ut de Aëtio quoq; diximus) erroris huius id fuisse causam, quòd cũ Paulus Arabũ temporib. & ipse proximus fuerit, aliqua de illorũ fontibus hauserit, nõ adeò expurgata, vt quæ de fontibus medicinæ Galeni defæcatissimis emanant: sed illorum suauitate oblitus, limpida sordidis cõmiscuerit: quæ postea non ita legentibus grata fuerunt, neque accepta. Sunt præterea pauca admodũ ab eo autore tradita, de quib. Galenus non meminerit. Laudaui sanè semper, ac laudo illius operis librum sextũ, vtpote (ni mea me fallit opinio) meliorem librorum suorũ partem: quòd inhumanum sit,

proprijs laudibus aliquē defraudare. Fatemur profectò, diuinum, non humanum esse, nunquam errare: Verùm non ideo tamen nostra, neq; aliorum errata vnquam admittenda, sed pro viribus confutāda ac detestāda sunt. Ad ea verò quæ recentiores anatomici dicunt aduersus Galenum, his argumentis illum tueri conabimur. Seruus enim mihi ille esse videtur, qui vni magis quàm alij se addicit sectæ & disciplinæ: contrà verò is, qui sanā doctrinam quærit ac veritatem, verè liber ac sapiēs. Quare (vt dixi) Galenū, vt magis omnibus veridicū, & doctum medicinæ autorem (solo Hippocr. excepto) sequor, atq; illius doctrinam amplector, & imitari studeo, nihilominus et quæ ab alijs bene tradita sunt recipiens, & extollens. Cùm autem ea in quib. Galenū defecisse dicūt, accuratè examinauero, ac proprijs oculis ita esse pro certo videro, tunc & à me illius doctrina in ea parte refelletur, et quæ ab alijs tradita erūt ac manifestata, vt veriora amplectar, ac probabo: semper enim nō aliorum tantùm, vbi mihi illi innotuerint, in medicina errores fateri decreui, sed etiā nostros, cùm, vt suprà dixi, fieri non possit, vt vnus

omnia

omnia norit. Id tamen dicam, mirũ mihi videri, Galenum in tam multis, vt aiunt, de anatomia locis hallucinatum fuisse. Neque dubitandum est, quin multò melius sit hominũ corpora dissecare, quàm simiarum, gallorum, & huiusmodi aliorum animalium, quemadmodum Galeno consuetum erat, cùm ea sint, de quibus noster futurus est sermo, non autẽ alia animantia, quorum cum humanis corporibus in multis maxima est dissimilitudo. Verum tamen est, quòd quanto hæc nobis magis similia fuerint, vt simiæ, tanto magis etiam, quãtum ad internas partes pertinet, conformia esse credendum est: etsi hoc in vniuersum minimè verum sit, quemadmodũ in suibus videri licet, qui membra interna nostris valde similia, externa verò nulla in parte, sed dissimilia omnino habent. Neq; propterea tamen puto Galenum in dissecandis humanis corporibus non fuisse valde exercitatum: sed si plures simias dissecuit, quàm corpora humana, id illum fecisse ea de causa existimo, prout ipse etiam in libris de anat. administ. fatetur, quòd illæ nõ ita abominabiles essent conspectui suo, & quæ facilius & commodius haberi possint. Deinde

animaduertendũ est, corpora nostra non æquè genita esse & constructa, sed discrimina multa inter ipsa existere: quare excusatione dignus videri poterit, si quis error in illius dictis reperietur. Verũ de his nũc à nobis exacta non habebitur consideratio, nec determinatio, sed alibi commodiore loco & tempore disceptabimus. Non parũ autem admiratus sum, quòd hic vester medicus, de quo suprà à me facta fuit mentio, à multis nostræ ciuitatis summis viris ad sui curationẽ accersitus, vt primũ ad illos accessit, minima de morbi, deq; ægrotãtis natura interrogatione facta, ac de alijs multis, quæ valde digna sunt accurata inuestigatione, plurimas ille subitò scripsit cõpositiones & remedia, ac si prudẽtior & oculatior esset ipsa natura, quæ nisi impediatur, ægrotãtibus, nulla alia ope adiuta, succurrit: quod sanè neq; ab Hippoc. (Apollinẽ prætereo) neq; à Galeno, neq; ab alio quouis quantũuis peritissimo medico factum fuisset, nisi certã de ægrotantium & morborũ natura cognitionem habuissent: cùm medico, vt ipsi dicunt, necesse sit ægrum de quacunq; etiã re leui interrogare, priusquã debita admouere sciat remedia. Quod & nõnullis

nullis medicorum, quos ego optimè noui, accidisse scio, qui etsi Lynceo perspicaciores essent, non poterãt tamen in tam breui temporis spacio rectè officio suo fungi. Dubito ne id potius agant, vt videãtur hominib. magis quàm alij, & eruditi, & exercitati, & vt tandem ditescant. Putant enim pleriq; nõ solum vulgarium hominum, sed etiam qui in ciuitatib. aliqua habentur in æstimatione, primo vrinæ intuitu medicum omnia prædicere debere, atque ægrotantem curare: id quod tamen nemini licere arbitror, quantumuis etiam in re medica experto, erudito, & optimi ingenij viro. Ea sanè nostris temporibus inualuit consuetudo, vt cùm quispiam nostrûm ad ægrotũ accedens, plurimas non scribit cõpositiones, hũc non esse bonum medicum dicant: nescientes id esse maximũ vitæ suæ, ac rei familiaris detrimentũ. Nolim tamen putes ex his me velle dicere, non posse aliquem medicum alio non esse in medendi arte præstantiorem, & iuuenem etiam aliquem qui verè exercitatus sit ac doctus, & boni ingenij, alio antiquo, et bene fortunato, sed rudi, reperiri: et quòd interdũ vtile remedium aliquod derepentè & componi &

experiri non poßit: quemadmodum etiã Galeno, & multis alijs magni nominis viris consuetum esse constat: sed id quod à nobis dicitur & probatur, tale est, medicum videlicet officio suo probè fungi debere, & tum verè medicum appellari. At postquam in hos incidimus sermones, non ab re fortasse fuerit, & de illo alio inter plerosque medicorum abusu, ac praua cõsuetudine medendi, idiotis etiam manifesta aliqua commemorare. Consueuerunt sanè plerique nostri temporis medici, cùm ad aliquem accesserint ægrotãtem, iubere vt vena illi incidatur, quatuor aut quinque sanguinis vncias ad summum hauriendo: deinde minoratiuum validum (vt ipsi dicunt) iniungunt: postea quatuor aut sex serapia: à quibus statim medicamentum eradicatiuũ, quod vocant, exhibent, ex multis quidem ac varijs compositum simplicibus pharmacis. Quibus remedijs quomodocunque à medico datis, si æger non conualuerit, vt plerunque fit, cùm non opportunè hæc peracta sint, iterum alia præparant serapia, alijs primis efficaciora, ac deinde aliud vehemẽtius pharmacũ: à quibus pastillos nescio quos aluũ exoluentes, sanguinis

guinis circiter vncias duas aut tres mittendo è vena inter auricularem & annularem digitum sita. Tandem, quia remedijs his aperte cognoscunt ægrum à morbo liberari non potuisse, sed in peiorem statũ perduxisse, ad balneas ipsum tãquam ad sacram anchoram infeliciter relegant: quibus si non conualuerit, desperata omnino salus est: & ita hac vana excusatione putant se ab omni infamia absolui debere, cùm dicunt se quodlibet tentasse auxilij genus pro recuperanda ægrotantis salute, neque per ipsos stetisse quin conualuerit: sed ita in fatis esse, vt & crucientur, ac moriãtur. Verùm non vident hi (quod tamen pace sua dictum sit) hoc doctrinæ genus vulgarem magis præ se ferre medendi cognitionẽ quandam, & abusum, quàm doctrinã & prudentiam. Quare (vt dixi) mirandum non est, si miseri ægrotãtes peius quàm antea sese habeant, aut pereant: aut si conualescunt, sorte quadam & naturæ validæ beneficio potius, quàm medici, aut medicamentorũ datorum, releuari credendum est. Quis enim nescit ægrotãtium plerosque sola victus ratione & abstinentia conualuisse? alios, & hos nõ paucos, solis serapijs,

vel aluum mollientibus medicamentis exhibitis? sæpe enim solius naturæ vi curãtur ægroti, nulla alia medici ope indigẽtes. Quòd si merito illius optimè nõ se habuerint, tunc medici auxilio nobis opus esse scias. Neque, vt vulgares omnes, existimes, cùm serapia exhibita sunt, quòd necessario soluens pharmacum dare cogamur: sæpe enim ægrotantis natura auxilijs istis adiuta, aut per sudorẽ, aut sanguinis nariũ fluorem, aut per sensum latentem perspirationẽ, aut per aliã huiusmodi vacuationem illos à morbo liberat. Equidem medicus sæpenumero multis vtitur remedijs cũ nihil agit, sed suo acri iudicio solùm morbi & ægrotantis vires perpendit, ac singulis quæ contingunt diligenter examinatis, illum sex rebus non naturalibus optimè accõmodat. Hæc sanè quandoque faciunt, Martine, ac plerique alij cùm nostri, tum ægrotantium errores, vt mihi interdum in animo proposuerim, amplius nolle medicinam exercere, nisi diuinum lumen ab hoc proposito me auocaret. Quis enim adeò mente captus est, vt nõ apertè fateatur, multò melius esse minima expensa ægrotos curare, & domesticis ac vulgo notis medicamentis, &

iuxta

iuxta Hippoc. & Galeni consultũ, quàm maximo rerum suarũ ac vitæ suæ damno, peregrinis, incertis, ac sumptuosis pharmacis, præterq; antiquorum mentem? etsi ægrotantium pleriq; bonorum suorum ignari, magis aliũ laudent curandi & medendi modum. Si pruna perbellè matura & exiccata ante cibum sumpta, lubricum ventrem reddunt, eaq; minimo impendio vbiq; ferè inueniuntur, suntq; cuntis ferè ægrotis gustui grata, & febris temperamento contraria, quis non magis illa libentius sumat pro medicamẽto, quàm casiam, & huiusmodi alia preciosa et peregrina medicamenta? quæ sæpe & adulterina, & gustui ingrata sunt, vt est potissimũ casia, quæ quadam medicamentosa qualitate prædita est, & plerunque ægrotantium ventriculum subuertit, & tormina excitat. Si quis verò nobis obijciat, non ita aluum facilem reddere pruna, vt casia, & huiusmodi alia: hoc modo illi respondendũ esse puto, videlicet, id quod dicitur, mihi non satis constare: imò & casia, & manna potissimum, nostram interdum frustata est expectationem, cùm nihil, aut parum certè aluus ab illis sumptis se deiecerit. Quòd si time-

mus, ne pruna parum aluũ moueant, sacharum illis, aut serum capræ, aut etiam vaccæ addi poterit, aut melicraton, in quo macerantur, & cum ipso parum ante cibum sumantur, ne natura cibo indiga illis vtatur non vt medicamento, sed vt cibo, quemadmodũ nos docet Gal. fieri debere in omnib. medicamentis, quæ ad molliendam aluũ nata sunt. Quantum verò Hispana siue Iberica, quæ nos Catelana nuncupamus, alijs meliora sint ad leniendam aluum, satis manifestum esse puto: & ea quidem recentia magis, quàm exiccata, non habentia quicquam, etiam si immatura sint, quod alui deiectionem impedire possit, vt aliæ, in quibus sapor quidam austerus, acidus, aut adstringens etiam inest, præsertim si immatura fuerint. Dicimus etiã non omnes æquè indigere alui lenitione, sed vnum alio magis, alium minus: & alium natura aluo esse adstricta, alium ad deijciendum facili: quare suprà contra nos adducta ratio, pauci esse momenti videbitur. Omitto quòd pleraq; alia simplicia mollire aluũ possunt, quæ quoniam exercitato & perito medico manifesta sunt, idcirco in illis recensendis non multùm laboro, sed

Secundo de alim. facul. cap. de pruni.

ro, sed prædicto poteris esse contentus exemplo, & ita nobis parata erit satis vtilis compositio, gustui grata, familiaris, ac minimi precij, & fortassis ad leniendum ventrem magis efficax, quàm Diaprunis. nisi hoc nomine perterrefacti ægrotantes, ac timore oppressi, existimãtes illud esse medicamentum quodpiam mirabile ac preciosum, ita illis aluus magis lubrica reddatur (quemadmodum sæpenumero ijs contingere solet, quibus ex improuiso aliquod triste ac prauum annunciatur) quàm vi medicamenti ipsius, quod & ipsum ex prunis parari notũ est, saccharo, & nõnullis alijs, quæ magis supprimere aluum apta sint, quàm ipsam bonã reddere: veluti spodium, sandali, & nonnulla alia, ex quibus Diaprunis ipsum conficitur. Multa sanè nomina multis imposita sunt compositionibus, quæ maximè vsui habentur, auaritia quadam potius, quàm vtilitatis alicuius gratia. Nam si nomina rebus imponuntur ob rei significatum, & facultates, quibus præditæ sunt, quid, quæso, Manus christi appellare attinebat sacchari frustulum percolatum ex aqua violarum, aut rosarum, quasi illud sit, quod ab omni nos liberet

morbo? id quod sanè falsum est, si rem hanc exactè perpendere voluerimus, nec minus ea, quæ ad nostram pertinent salutem. Sed quid multa huiusmodi cõmemorare laborem? cùm plena illis sint pharmacopolia omnia, quale est Electuarium regum, quod vocant, pilulæ imperiales, vnguentum diuinum, & pleraque eiusdem generis alia, non ob aliud (puto) inuenta, quàm vt maiori precio res vendatur, insignis tituli potius, quàm suæ virtutis nomine: quasi nomina huiusmodi ægrotos à morbis liberent, non res. Quod verò ad Matthæolum Senensem attinet, virum alioqui de re medica optimè meritum, paucis sic habeto. Nos vbi de ranis mentionem fecimus, palustres ranas non diximus rubetis magis veneni natura participare, prout ipse affirmare visus est, neq; vllam fecimus inter ipsas comparationem, cùm rubetæ nullibi, quod sciam, pro cibo sumantur: sed ea fuit nostra sententia, & est, quòd ranarum nutrimentum in vniuersum inculpatũ non sit, & præsertim quæ in stagnis & cœnosis habitant locis: minus malum verò earum, quæ in puris & limpidis versantur aquis. Quare Matthæolo

thæolo gratias plurimas ago, quòd me erroris mei admonere existimauerit, cùm tamen, ni mea me fallit opinio, minimè culpandus sim. Vale, & si quid aliud à me scire desideras, scribe: nihil enim gratius mihi contingere potest, quàm tuis petitionibus satisfacere. Ex Brixia, decimo cal. Febr. M. D. XLVIII.

ALOISII MVNDELLAE EPIstolarum medicinalium

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-148690-p0539-8 DFG